

PIUS PAPA IV
CODEX IURIS CANONICI

**PROFESSIO
CATHOLICAE FIDEI**



CRACOVIAE MMXVII

www.ultramontes.pl

PROFESSIO CATHOLICAE FIDEI ⁽¹⁾

iuxta Codicem Iuris Canonici (1917)

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato: passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et

Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum sollemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor,

simulque contraria omnia, atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit curaturum, ego idem N. spondeo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Codex Juris Canonici Pii X Pontificis Maximi iussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus. Praefatione, fontium annotatione et indice analytico-alphabetico ab e.mo Petro Card. Gasparri auctus. Romae. Typis Polyglottis Vaticanis. MCMXIX (1919), p. LIII-LV. (2)

Notae:

(1) *Professio fidei Tridentina*. – Ex Bulla Pii IV "Iniunctum nobis", 13. Nov. 1564. Vi Decreti Congregationis Concilii 20. Ian. 1877 (ASS 10 [1877] 74) addenda sunt verba de Concilio Vaticano I. Quae personae ad eam emittendam obligantur, hodie determinatur in Codice Juris Canonici (1917) can. 1406. Vide: Henricus Denzinger, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*, quod a Clemente Bannwart denuo compositum iteratis curis edidit Iohannes Bapt. Umberg S. J. (Professor in Universitate Oenipontana). Editio 18-20. Friburgi Brisgoviae MCMXXXII (1932), n. 994-1000.

(2) Cf. 1) Papież Pius IV, [*Wyznanie Wiary katolickiej*](#).

2) S. Pius Papa X, [*Iusiurandum contra errores modernismi \(Przysięga antymodernistyczna\)*](#).

3) Urbanus Papa VIII, Benedictus Papa XIV, [*Professio Fidei Orientalibus praescripta \(Wyznanie Wiary dla chrześcijan wschodnich\)*](#).

4) P. Ferdinandus Cavallera SI, [*Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis Magisterii ecclesiastici*](#).

5) S. Pius Papa V, [*Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini \(Katechizm Rzymski według uchwały świętego Soboru Trydenckiego\)*](#).

6) Gregorius Papa XIII, [*Martyrologium Romanum*](#).

7) S. Robertus Cardinalis Bellarminus SI, Doctor Ecclesiae, a) [*Compendium Doctrinae Christianae \(Katechizm mniejszy czyli Nauka Chrześcijańska krótko zebrana\)*](#). b) [*Catechismus, seu: Explicatio doctrinae christianae \(Wykład nauki chrześcijańskiej\)*](#).

8) S. Petrus Canisius SI, Doctor Ecclesiae, a) [Catechismus maior seu Summa doctrinae christianae.](#) b) [Catechismi Latini et Germanici.](#)

9) Petrus Cardinalis Gasparri, [Catechismus catholicus \(Katechizm katolicki\).](#)

10) S. Franciscus Xaverius, [Uberrima Symboli declaratio.](#)

11) P. Christianus Pesch SI, [Compendium Theologiae dogmaticae.](#)

12) Pius Papa XII, [Enchiridion indulgentiarum. Preces et pia opera in favorem omnium christifidelium vel quorundam coetuum personarum indulgentiis ditata et opportune recognita.](#)

(Notae ab ed. *Ultra montes*).



([HTM](#))